




F

R.M.Jr.  
II.198.b



22.

I. N. I.  
THESES THEOLOGICÆ,  
De  
**SCRIPTURA SACRA.**  
Quas  
*Favente Divinâ Gratiâ,*  
**M. JOHANNES FABRICIUS,**  
Gymnasij Cibiniensis in Transylvania Moderator &  
Professor Publ. ad diem 30 Augusti, horis an-  
temeridianis ad Ventilandum  
propositus.

*Respondente*  
**MICHAEL CZINNIO Rudalicencse**

h. t. Gymn. Cibin. Praef.  
spectabilis ac magnifico Ilio Telephi,  
una officio et utilitate  
mittit hunc. *H.*

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA


**CIBINI,**  
Imprimebantur per Stephanum Jüngling/  
Annô Christi M DC LXXIII.

22.

I. N. I.  
THESES THEOLOGICÆ,  
De  
**SCRIPTURA SACRA.**

Quas  
*Favente Divinâ Gratiâ,*  
**M. JOHANNES FABRICIUS,**  
Gymnasij Cibiniensis in Transylvania Moderator &  
Professor Publ. ad diem 30 Augusti, horis an-  
temeridianis ad Ventilandum  
proposuit.

*Respondente*  
**MICHAEL E CZINNIO Rudalicus**

*i h. t. Gymn. Cibin. Praef.*  
Spectabilis ac Magisterio suo Relegit,  
una officio  Iuratione  
mittit sub his 

**M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA**

**CIBINI,**  
Imprimebatur per Stephanum Jüngling/  
Annô Christi M DC LXXIII.

Regiae, Libereq;  
CIVITATIS CIBINIENSIS  
**INCLYTIS MAGISTRA-**  
**TIBVS,**

*Viro Amplissimo,*  
**DN. VALENTINORÖRICH,**  
Consuli meritissimo, &c.

*Viro Spectabili ac Generoso,*  
**Dn. ANDREÆ FLEISCHERO,**  
Judici Regio dexterrimo, Serenissimi Principis Transyl-  
vaniz Consiliario intimo, Inlytæq; Nationis  
Germanicæ Comiti confirmato &c.

*Viro Prudentissimo,*  
**DNO. JOHANNI HAUPT,**  
Judie Sedis gravissimo &c.

Toti deniq;  
Lectissimorum & Consultissimorum Senatorum

**CORONÆ,**  
Dominis Patronis, Fautoribus & Amicis observandissimis  
Temporalem & æternam felicitatem!



**B**eatæ oculi vestri, quia vident; & aures vestre, quia audiunt. A-  
men quippe dico vobis, quia multi prophetæ & justi cupiverunt  
videre, que vos videtis, & non viderunt; & audire, que vos  
auditis, & non audiverunt, Matth. 13. v. 16. & 17. Ita Discipu-  
lorum suorum, quibus sanctissimum suum corpus conficiendum prebebat, &  
quorum aures svarissimis sermonibus implebat, salvator noster felicitatem pre-  
dicat. Non absq; Veritatis calculo. Nihil enim oculus potest accidere Divi-  
na carne pulchrius, nihil auribus Divinò alloquitò jucundius, nihil animæ utile-  
lius. Pari verè elogio. Honoratissimi Domini, felicitas Vesta celebrari potest.  
Beati oculi vestri, quia vident; & aures vestre, quia audiunt. Vestri enim  
oculi in clara Evangelij luce vident Christum & detectum Antichristum, cuius  
manifestationem multi Reges, Principes, & Doctores videre desiderârunt, &  
non viderunt. Vestri oculi vident & legunt Scripturam Sacram in lingua  
vernacula, quam Laici Poloni, Galli, Hispani, Itali, aliq; populi Pontificie  
religioni additti, videre & legere desiderant, sed nec vident, nec legunt. Ves-  
tre aures audiunt purum, nullisq; Tartaricarum vel Pontificiarum tradicio-  
num figmentis permixtum Dei Verbum, quod oppressi in Hungaria Evangelis-  
ci audire desiderant, sed non audiunt. O beatos oculos! O beatas aures! Cha-  
ractere verbi Dei nullus color oculis gravior, præconiò Verbi Dei nullus so-  
nus auribus acceptior, nullus animæ utilior. Per hunc mystico Christi corpori  
implantamus, per hunc in gratiæ Divine gremio conservamur, per hunc in tri-  
bulationibus recreamur, per hunc Diabolo obductamur, per hunc in cœlestes  
thronos collocamur. Tanta commoda ex Dei Verbo in nos resultare, minimè  
ignorat juratus generis nostri hostis Satanæ, ideoq; illud mille artibus per suos  
satellites oppugnat, congestisq; sordidis convitiorum spitis, hoc agit, ut sensus  
nostrorum ab eo, tanquam fœtido cadavere, abstrahat. Nam ut alios ejus Amas-  
nuenses silentiò præteream, Pontificij Scripturam Sacram comparant enigmati  
Sphingis, fabulis Æsopi, regule plumbee. Appellant eam merum putamen sis-  
ne nucleo, elementum egenum, literam mutam, literam mortuam, atramentum  
mortuum, nasum cereum. Negant illam gaudere per se certò & determinato  
sensu, negant ei per se fidem esse habendam, negant esse claram, negant pera-  
fertam, negant Laicis in linguis vernaculis esse legendum. Has & similes quis-  
quiliæ ut disjocerem, debitamq; scripture Sacra, tanquam fidei Christianæ  
principis


principio, Majestatem assererem, istas conscripsi Theses, in quibus vera & genuina eis predicata ex testimonio Divinis & Adversariorum hypothesis età claritate deduxi & confirmavi, ut illi vel nostram sententiam admittere, vel sua subrata fundamenta dolentibus oculis spectare, necesse habeant. Vobis autem, Generosi & Consultissimi Domini Patroni, has celestis Veritatis stricturas inscribendas ac dedicandas esse duxi, ut mea erga vestras Dominationes Honos ratissimas pro acceptis beneficiis gratitudinis in publica luce tessera exstaret. Quare dignabuntur illas eò, quo offeruntur, accipere animò, nempe gratissimò. Quod super est, Deum Opt. Max. supplici pectore veneror, ut purum Verbi sui praeconium in Civitate Vesta usq; ad gloriosum Filii sui adventum conservet, Vestras autem Dominationes Honoratissimas in nominis sui gloriantur.

Civitatis & totius Patrie emolumenatum, quam diutissime incolentes  
& felices vivere jubeat.

Vestrī Generosis, Amplissimis & Prudentissimis Dominationibus

ad officia paratissimus.

M. Johannes Fabricius.



I. N. J.  
THESES THEOLOGICÆ.

I.

**E**xistentiam Theologiae, præter Scripturam Prophetico-Apostolicam, & ex ea vel contra eam à Theologis formatos libros, probant notitiae naturales, bona & mala conscientia, consensus omnium Gentium, ipsique Athei eam negando stabiliunt.

2. Generis loco in definitione Theologiae, nec doctrina, nec sapientia, nec scientia, nec intelligentia, nec prudentia, nec argumentum debet. Hoc munus vendicat sibi solus habitus, isq; non speculativus, nec mixtus, sed pure practicus.

3. Originē suam trahit Theologia, non tam à causa Efficiente, quam ab objecto Principalí, quod est Deus ut colendus. Non male autem duplex constituitur ejus Objectum, Tractationis & Operationis. Illud est religio vera sive rectus Dei cultus, hoc, perducendus ad vitam æternam homo viator.

4. Dividitur Theologia in Naturalem & Revelatam. Illa partim nobis connascitur, partim ex contemplatione creaturarum acquiritur. Haec ex revelatione Dei hauritur. Estq; Ordinaria, vel extraordinaria. Illa revelationi mediata, haec immediata originem suam debet.

5. Theologia Supernaturalis principium non sunt traditiones Moscoviticæ, Athiopicæ, Mahumeranæ, vel Pontificiae; nec decreta Conciliorum, nec Patrum dicta, nec Philosophica axiomata, sed sola revelatio Divina, scriptis Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum comprehensa. Non repugnat tamen ex una propositione revelata & altera naturali, elicere conclusionem de fide.

A;

6. Serie

6. Scriptura Sacra in communi recte definitur per Verbum Dei immediate in literas à Deo relatum: pro ut autem sumitur pro toto librorum ab Amanuensibus Spiritus Sancti adornatorum corpore, non male ab Authore nostro Dieterico describitur. Definitum supponit formaliter, non materialiter.

7. Divina Scripturæ origo ex contentorum indele, divinis scilicet colloquijs, scribendi mandato, efficaciâ convertendi, consolandiç corda, mysteriorum sublimitate, vaticiniorum cum eventu conformitate, doctrinæ sanctitate &c. Moraliter, Physicè, Theologicèq; infallibiliter cognosci potest. Et licet Veteris & præsentis Ecclesiæ Christianæ, Judaicæq; testimonium, sit valde efficax ad eam cognoscendam motivum, non tamen solitarium, aut absolute necessarium, vel Conditio sine qua non.

8. Omnia autem minime ad eandem cognoscendam & admittendam Pontificia Ecclesiæ testificatio necessaria est. Nam prius, quam Ecclesia Romæ fuisset plantata & Pontificis infallibilitas confusa, Scriptura in esse & cognosci fuit Divina. Pro inde si Pontificem Romanum cum Universa Jesuitarum, aliorumq; Sophistarum colluvie, mari, vel terræ hiatu contingere mergi, superessent nihilominus, efficacia motiva, ad cognoscendam & admittendam Scripturæ Divinam inspirationem. Stante tamen Jesuitico commento, quod Pontificis Romanis testificatio, cognoscendæ Divinæ originis Scripturæ, sit conditio SINE QUA NON; evidenter sequitur, nullum Papistam, qui non vidit & audivit Pontificem, habere fidem Divinam. Dictum Augustini; Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret authoritas, quod pro confirmando figmento isto adduci à Pontificijs solet, nunc Jesuitarum contraria praxi refutatur. Jam enim Lutheranos & Calvinianos non Ecclesiæ autoritate, sed multis & exilijs ad suam Doctrinam amplectendam compellunt.

9. Authentica dignitas solis Originalibus competit textibus, Hebreo scilicet in V. & Græco in N. Testamento. Qui vero illam versioni LXX, Interpretum, Latinæ vulgatae, Syriacæ, aliisq;

alijq; tribuunt, singunt atramentum rubrum, lignum ferreum.

10. Veritas S. Sacra non est definienda per conformitatem verborum cum mente Divina tantum, sed etiam cum rebus, quibus significandis ex prima impositione, communè loquendi usu verba inserviunt. Facultas formandi Entia rationis & propositiones falsas, quæ intellectui Divino competit, conformitatem istam non labefactat.

11. Perfectionem Scripturæ estimamus, non ex librorum numero vel mole, sed ex proportione cum fine, hoc est, sufficientiâ informandi hominem de faciendis & fugiendis, credendis & non credendis, Joh. 20. 21. 2. Tim. 3. 15. & 16. Quare nec categorica, nec hypothetica, aliquorum Scripturæ librorum amissio, imperfectionem ejus solidè probat.

12. At verò Verbi Dei non scripti imperfectionem, immo nullitatem, sufficienter demonstrat primigeniarum vocum defectus & consequentiarum rejectio. Nullus enim Pontificiorum hodiè seit, quibus vocibus, an blitiris, clistis, vel tararis, in revelandis rebus non scriptis, Deus fuerit usus. Argumentandi autem viæ commenta sua esse de fide, probare non possunt, quia præmissas immediate à Deo revelatas, ignorant, quia item consequentias, non solum ad eliciendos ex Scriptura fidei Articulos sufficere negant, sed & pro Idolis agnoscunt.

13. Rectè à perspicuitate plerarumq; partium suarum denominatur Scriptura clara, non item à quarundam caligine, obscura. Unde istæ prædicationes; Æthiops est albus, Pontificia Ecclesia est vera, Scriptura est obscura; stant à mendacio contra verum. Ac ut sàpè alias mendacium suis ipsius se prodit ungvibus, ita Pontificij dum obscuritatem Scripturæ probare satagunt, ejus claritatem inviti demonstrant. Nimurum quod ore convitum in Scripturam expuunt, praxi clingunt. Vel enim dicta Scripturæ, quibus in probanda ejus obscuritate, & alijs suis fragmentis utuntur, sunt clara, vel obscura & certò sensu definita. Siprius, cecidit toties decantata obscuritas Scripturæ. Si postea, Doctores Pontificiorum sunt Psittaci, quia dant sine mente sonum,

sonum; & impostores, quia ambigua Scripturæ sensum certum  
sine Pontificis Romani postilla, exprimere non verentur.

14. Scriptura Prophetico-Apostolica originem suam debet  
non Arbitrio & voluntati humanæ, sed inspirationi & man-  
dato Divino. Nec Lectio ejus est arbitraria, aut verita, sed im-  
perata. In Cœlum igitur Pontifices Romani spūnt, dum ejus  
Lectio in Linguis vernaculis Laicis prohibent.

15. Norræ & Judicis officium in examinandis Doctrinis &  
decidendis Religionis controversiis, majore Jure tribuitur Scri-  
pturæ, quam Decretalium Centonibus, vel ipsis Pontificibus Ro-  
manis; Nam hi Postillâ Divinâ, immediataç S. Sancti assisten-  
tiâ sunt destituti, ut ipsi fatentur, & experientia docet; Regulas  
autem Hermeneuticas ad investigandum & inveniendum legi  
simum Scripturæ sensum, ineptas pronunciant. Adde, totam  
Scripturam ipsis cereum nasum esse, ut seipsum explicare, con-  
gruumq; menti Revelantis sensum, Legenti subministrare ne-  
queat.

16. Jesuitæ & eorum complices carent omni Fide Divinâ &  
humanâ. Illâ, quia negant Individuales Dei Revelationes, quas  
nomine privati Spiritus insinuant, sine quibus tamen non magis  
possibile est concipi Fidem Divinam, quam hominem sine animâ  
rationali product, aut parietem sine albedine dealbari. Hâc, quia  
publicis Scriptis Reges ad pacta juramentis confirmata vio-  
landa, fidemq; Hæreticis datam rescindendam, nec non interro-  
gationes, responsiones & quaslibet colloquiorum reciprocatio-  
nes, æquivocationibus & mentalibus reservationibus eludens  
das, Cyclopeo ausu docere sustinent.

17. Blasphemant, qui Scripturam Prophetico-Apostolicam  
literam mortuam appellant, quicq; illam mere objective in cor-  
da hominum agere statuant. Utrumq; errorē refellunt actus vi-  
tales à S. Sancto ei attributi, inter quos eminent: dolor de admis-  
sis peccatis, ob summum Bonum Iæsum, fiducia, spes & charis  
erga Deum & proximum.

18. Pelagianismum insuper, aut certè Enthusiasmum utriq;  
stabiliunt.

Vel enim facultas elicendi actus fidei Divinæ, spei  
& charitatis, inest nobis à natura, vel confertur per verbum, vel  
præter & extra verbum. Si primum, ratificatur Pelagianismus.  
Si secundum, cecidit mortua litera, & actio verbi pure objectivea.  
Si tertium, Enthusiasmus imponitur cruxibus.

19. Impostores Jesuitæ & Monachidum ex Scripturæ lec-  
tione vel auditu negant individuales oriri revelationes Divinas  
(quas sub sordido privati Spiritus nomine traducunt:) seipso.  
& reliquos Pontificios omni fide Divinâ privant, inq; castra  
Tartarico-Pagana explicatis vexillis transfigunt. Impossibile  
enim est, secundam mentis operationem sine primâ, assensum Fi-  
dei Divinæ, sine Revelatione Divinâ dari.

20. Certitudo Scripturæ convellitur à Pontificiis & Belgis.  
Nam illi negant certum ejus sensum præcisâ Pontificis Romani  
interpretatione. Hi conformitatem cum mente Divinâ, dum  
voluntatem signi in Promissionibus Evangelicis declaratam, dis-  
crepare statuant à voluntate beneplaciti. Nec salvatur debita  
Verbi & mentis Divinæ harmonia, partitione conceptuum Di-  
vinorum & eorundem signorum. Nam ut contradictionem  
conceptuum istorum, quâ idem volunt & nolunt, sub eâdem  
formalitate, præterea, eodem artificio Herodis hypocrisis de-  
fendi, candorisq; larvâ indui poterit. Ille enim duos formave-  
rat conceptus. Unum, de Judæorum Rege visitando & adoran-  
do, ut verba ejus testantur. Alterum, de eodem occidendo, ut  
cædes Infantum Bethlehemorum docuit. Non ergo mentius  
est, quia secundum doctrinam istam non discrepabant signa à  
conceptibus ejus internis. Huc pertinent etiam illi, qui statuant,  
non omne quod Deus proponit, credendum esse.

21. Ad rectam Scripturæ intelligentiam non est necessarius  
aliquis Interpres infallibilis, qui ex immediata S. Sancti assisten-  
tia doceat: hunc sensum esse menti Divinæ conformem, illum  
contrarium. Positâ vero hujusmodi Interpretis necessitate, ad  
Oreum erunt damnandæ omnes Jesuitarum & Monachorum in-  
terpretationes, quæ ex Postilla Pont: Romani non sunt petita.

Nemo enim Jesuitarum & Monachorum infallibilitatis privilegio gaudet.

22. Genuinus Scripturæ sensus Hermeneyticarum Regulæ beneficium inveniri potest, quod qui negant, Pontificis Postillam & Jesuitarum interpretationes ante annum Platonicum intelligere non poterunt, & ita nunquam Divinam concipient fidem. Nam aliud hanc & illam intelligendi medium, nullum dari potest.

23. Rectæ vero interpretationis & intelligentiæ Regulæ, nec fidei certitudinem, nec Divinitatem labefaciant. Pontificij dum id sine ratione & conscientiâ affirmant, seipso omni fide Divinâ carere demonstrant. Velenim interpretationes Pontificum Romanorum & Homiliae, alias Scripta Monachorum (quibus & per quæ fidem Divinam se haurire putant:) bona interpretationis Regulis sunt conformia, aut disformia: Si prius stat hypothesis, quod Pontificij fide Divinâ careant; Si posterior, merito illæ interpretationes cum aliorum Impostorum fragmentis, à Lutheranis damnantur.

24. Regina entium rationis Postilla Pontificis Romani, est sufficiens motivum deserendi Religionem Pontificiam, & amplectendi Orthodoxiam Catholico-Lutheranam. Nam veram & Divinam fidem impossibile est resolvi in purum, putum fragmentum humanum, quale est Pontificis Romani Postilla, in quam Impostores Jesuitæ toties fidem suam & suorum resolvedunt, quoties adserit Scripturæ ambiguitate, & negato ejus certô sensu, ad Infallibilem Scripturæ Interpretem Pontificem & omnium Lutheranos & Calvinianos deducere conantur.

### Avisa Italica.

25. Ajunt, Postillam Pontificis Romani in Phantasiam, Utopiam Metropoli, excudi, accessitis ex vicina Civitate Purgatorio ad urgendum opus, innumeris Doctissimorum Jesuitarum animabus. Singula folia ex alterum millepedralium inter se eleganter iunctorum, myriade texuntur. Characteres singuli

Elez



Elephantinâ mole maiores; Totius corporis latitudo decem millaria Hungarica æquat, longitudo centum. Simul ac supremâ experita fuerit manum, in Luna concavum collocabitur, ut omnes populi & nationes Papales glossas in illâ, terestrum globum circumcurrente, legere possint. Parantur etiam scalæ turri Babylonice miliæ aliores, per quas Jesuita Sambat ad Postillam ascensurus est, & foliæ de decreto Pontificis Romani, versurus. Non vanus multorum piorum animos subicit metus, ne fractis, aut loco suo emotis scalis, instar Luciferi idem Jesuita è cœlo in infernum cadat.

26. Non formant Circulum vitiosum Lutherani, quando Divinam Scripturæ autoritatem probant per internum, S. S. testimonium, & contra internum Spiritus S. testimonium, per Divinam Scripturæ originem. Nec petunt Principium, dum Divinam Scripturæ Originem probant ex miraculis, vaticiniis, mysteriis, colloquiis, somniis, visionibusq; Divinis, aut dictis signatum de Divina Scripturæ Origine testimonium perhibentibus, ut sunt 2 Timoth: 3, 16. 2 Pet: 1, 21. Irrationabilis dubietas Pontificiorum demonstrationum istarum bonitati præjudicare non potest.

27. Internum S. S. testimonium, unam duntaxat contradicentium partem ratificat. In casu, quod pluribus vel contrariis interpretationibus & sententiis testimoniorum hoc prætextitur, illa sola pro ejus sobole est agnoscenda, pro qua maximè Regula Hermeneyticæ, & Divinæ originis militant indicia.

28. Pontificii rotundissimum formant Circulum Sophisticum, probantes Divinam Scripturæ autoritatem, per infallibile Ecclesiæ sua testimonium, & vice versa infallibile Ecclesiæ sua testimonium, per Divinam Scripturæ autoritatem. Eò tamen non obstante, possunt Pædagogicum præstare officium Paganis, in manifestanda Divinâ Scripturæ autoritate, & sua ipsorum Ecclesiæ falsitate.

29. Simili Circulô decipiunt Orbem, dum probant interpretationum Papalium re studinem, per infallibilitatem Papalem,


Item, & vice versa infallibilitatem Papalem, per interpretationes Papales. Item quando Ecclesiae suæ infallibilitatem demonstrant ex scriptis Patrum, juxta expositionem ejusdem Ecclesiae intellectis, & contra expositionem scriptorum Patrum ex infallibilitate suæ Ecclesiae.

30. Tribus rotis istis constat currus Gallicus, quod Diabolus levia ingenia, ex Ecclesia Evangelica in Pontificiam ad pingues culinas, & ex illa in Gehennam, ad epulonis divitias siccas patinas & pateras vehere consuevit.

31. In controversia, de contrarietate Scripturæ & Philosophiae agitari solita, mediam ingressi viam, nec contrarietatem, nec confessionem omnimodam defendendam judicamus. Non illam, quia circa pleraque Objecta materialia inter Scripturam & lumen naturæ nulla intercedit contradicatio vera. Non hanc, quia lumen naturæ post lapsum non potest mysteriorum fidei veritatem attingere, assensum circa illa elicendo, aut saltem suspendendo. Nam alioqui vires credendi Articulis fidei, derivandæ essent ex natura, non nuda gratia, & negari oporteret naturalem rationis contrarietatem cum mysteriis, quod ipissimum sapit Pelagianum.

SOLI DEO GLORIA!





# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Item, & vice versa infallibilitatem Papalem, per interpretationes Papales. Item quando Ecclesiae suae infallibilitatem demonstrant ex scriptis Patrum, juxta expositionem ejusdem Ecclesiae intellectis, & contra expositionem scriptorum Patrum ex infallibilitate suae Ecclesiae.

30. Tribus rotis istis constat currus Gallicus, quod Diabolus levia ingenia, ex Ecclesia Evangelica in Pontificiam ad pingues culinas, & ex illa in Gehennam, ad epulonis divitias siccas patinas & pateras vehere conseyvit.

31. In controversia, de contrarietate Scripturarum & Philosophiae agitari solita, medium ingressi viam, nec contrarietatem, nec confessionem omnimodam defendendam judicamus. Non illam, quia circa pleraque Objecta materialia inter Scripturam & lumen naturae nulla intercedit contradictione vera. Non hanc, quia lumen naturae post lapsum non potest mysteriorum fidei veritatem attingere, assensum circa illa eliciendo, aut saltem suspendendo. Nam alioqui vires credendi Articulis fidei, derivandas essent ex natura, non nuda gratia, & negari oporteret naturalem rationis contrarietatem cum mysteriis, quod ipissimum sapit Pelagianum.

SOLI DEO GLORIA!



